





I  
II  
III  
IV  
V  
VI  
VII  
VIII  
IX  
X  
XI  
XII



28. XIX. 61 3000  
30

CARMEN HEROICUM  
DE

CUSTODIA DI-  
VINA ANGELIS DE-  
MANDATA, EX HISTORIA  
DE ELISÆO PROPHETA

2. Reg. c. 6. desumptum,

Et

A

IOHANNE RVDINGERO NEVSTAD.

ad Orilam, Tyrigetâ, in illustri Beroli-  
nensium Gymnasio Anno 1608.

recitatum.

In MOMUM invidum.

Fidas, mi LECTOR, resclam deponat in aureis  
MUSA, sed in vulgum spargere sola vetat.

Contentus modicis & nostro pragmate lætus,

Haut aurum petij mentis agone DEUM.

Aspera pauperies veniam dabis: inde recedas.

Quæ subiti voti primula causa foret?

Verminet omentum MOMO, stomachiq; recessus:

Expugnet cêrebri siccaque flamma tholos.

I. R. N.

29.



## Ad Amplissimos Viros

Nobili dignitate, eximiâ sapientiâ, prudentiâ, spectabili  
auctoritate, virtutumque ornamentis  
præstantissimos

CONSULES, CONSULARES ET SENATORES  
inclutæ Reip. & Berolinensis & Coloniensis;

PATRONOS rei literariæ suspiciendos, Dominos ac  
Mecœnates suos omni observantiæ & ob-  
sequij cultu honorandos.

**S**Criberis VIADRO doctus & artium  
Fautor, grandi-soni carminis alite,  
Quam-rem cunq̄ue gravis sollicitâ prece  
VATES te duce gesserit.

Nos jam SUEVE, neque hæc scribere, nec catum  
Euterpes animum cedere nesciæ,  
Nec cursum duplicis per vada Curiaë,  
Nec tecta stata Civium,

Audemus, tenues grandia: dum pudor  
Indoctæque lyræ MUSA potens vetat  
Laudes egregij CONSULIS & tuas  
Culpâ digerere ingenI.

Quis SUEVUM vicibus tectum adamantinis  
Dignè scripserit? aut munere publico  
Quæstores CAMERÆ? velq̄; ope SYNDICI  
PRÆTOREM Superi parem?

Nos mandata DEI civibus ætheris  
In VATEM data, nos nosque in homillulos

Canta

Cantamus. Capiēs SUEVE favens metrum,  
Et vivum, exanimum, dabis,

Horatiano stylo

*Iohannes Rudingerus Cliens*  
submitte tramittit.

---

**I. Carmen de S. Angelis Ioh: Ru-**  
dingeri, discipuli sui.

**C**astra novenarum quā lege fideq̄ Sororum  
Et regat, & passim cœlica turba tegat,  
Non est humana, tantas evolvere curas  
Seu Flaccus moveat, seu Maro plectra, lyra.  
Noctes atq; dies studet illis esse parata,  
Quos timor, ut Domini iussa sequantur, agit.  
Quod legis exemplum sacro de fonte probatum,  
Rem dignam studijs, Optime IANE facis.  
Perge sono calamo ve DEL cantare phalangem,  
Majorem numeris vim dabit illa tuis.

*M. Iosephus Gæzius Gymnasij*  
Berlinens: Rector.

---

**IOHANNI RVDINGERO NEOSTADIENSI,**  
Turingo, Amico suo colendo.

**S**unt RUDIGERE tibi MUSARUM munera præstō  
Singula, Pegaseis, exsaturate, vadis,  
A 2 Entheus

Entheus ingenij splendor nam seria miscet  
Carminibus jungit Cecropiosque modos:  
Sic prodesse simul, sic delectare paratus  
Cantas officio, non aliena, tuo.  
Quo tibi THESPIADES nec tent è germine fertum;  
Ut capias meritis, præmia digna, tuis.  
En digitis LAURUM versant, quæ tempora cingat,  
Æternumque paret, fronde virente, decus.  
Obdura saltem, contemnens scommata MOMI,  
Te non marcescens indè sequetur honos.

*M. Christianus-Theodorus Schoßerus*  
à Friedhelm Marchicus,  
Miles Auratus & Poëta Imperialis.

**M**ούσα ἐπεὶ φυλακῆς πέρι ἀγγελικῶν θεραπόντων  
ῥαδιγγῆρε τεῆ, καλὸν αἰεὶ εἶδος ἔπος:  
οὐδὲις ἀνθρώπων, ἀπορῆ ἴδ' γλῶσσι λέγεσθαι,  
ὅτι αἰεὶ θεῶν καὶ ἀγαπητὰ βροτοῖσι.  
Τ' ἔνεκα μύσῃσιν σεμναῖσι καλὰ πολλὰ πορεύει,  
καὶ χαρίεντα θεῶν ἔρανίωσι ὑδεῖν.  
ὡς γὰρ ἔπεσσι κλέος σοῖσι αὐξήσει διὰ παντός,  
ἄφθιτον ὡς ἔξεις ἔννομα ἠδὲ χάριν.

Μαρτῖνος Πραϊώριος Ἰησ ἐν Βερλίνῃ  
σχολῆς σωμαγωγός.

*V O T V M.*  
**F**init & hoc tempus, MICHAEL quo verterit Orcum,  
Quis putet? en vivi venimus inde bené.  
Ringente invidia tristi pervenimus inde,  
Hanc pendit magni quis? sine corde, radis.

Qui



Quî factum, laqueis, pedicis vel tergoris ausû?  
 Non: CHRISTI curâ, Luce, manuque datum.  
 Lætus habe grates magnas ter, CHRISTE, Salutis  
 A nostræ pergas partibus esse peto.  
 Protenus annonæ belli que luis que venenum,  
 Pellas à nobis angelico studio.  
 Marchiadis Princeps multâ da luce fruatur  
 Cum Consorte tori, & palmite, fruge micet.  
 IAN-SIGEMUNDUS ovet, nunc culta Borussia tanto  
 Gaudeat & valeat Principe, magnifico.  
 Spes valeant, lentæ que moræ, curæ que faceffant,  
 Lux vacet hæc tandem læticiæ innumeræ.  
 Tendant ad sævos infaulta & tristia Turcas,  
 Sit nostris utinam terminus hic lacrumis!  
 Marchia progenies famam conjungat olympto  
 Sceptris. Tu MICHAEL vulnera pelle, domo.  
 Hostica pelle foro, templo, ludo atque Senatu  
 Læticij relevans tristia fata novis.  
 Usque tuo fotu studiorum accende favillas,  
 Tu perferre dato, tu superare dato!  
 Vota simul laudo & magnis congratulor ausis,  
 Magna, Rudingere, hæc quàm reverenter habe.  
 Semper eò specta, pueros, puerumque Magistros  
 Quò spectes vitâ, pectore, voce, viâ!

*M. Ioach. Mesbovius Gymnasij  
 Berlin. collega rogatus f.*

Ἐἴη καὶ ἐπισαμθρῶς καθαρθῆο θεοῦ θεράπωντας,  
 πρὸς γῆρας, ἰσοῖς χεῖλεσιν ἐξερέεις.  
 Ἔστι θεόν, τὰ σπλάγχνα Πατρὸς ἰεχάριον πολυοίησ  
 κυδαίνειν, ἀμελεῖν δαιμονίων ἰε δόλων.

A 3 0v

Ὁν ἰδέσθων ὑμνήσας καλὸν ἔργμα θεῶν γενεῆης;  
καὶ λέχνης παρέχεις δαῖγμα καὶ εὐσεβείης.

Γρηγόριος Φράγκος, ὁ Μαγί-  
στρος, Λειψιεύς.

---

**U**T Chorus Aonidum Rudigeri carmina vidit,  
Protinus exclamat, Quid Rudigere paras?  
Magnum iter ad doctas conaris adire Camænas,  
Et studio sacras æquiparare Deas.  
Ergo Poëtarum cantus vestigia lustra,  
Crescentem ut VATEM cingere Phæbus amet.  
Quod Tibi promittunt non vano numine Musæ,  
Musarum præstet Duxq; Paterq; DEVS.

Iohannes Rhaw, Gym. Ber-  
linenf. Coll.

---

**A**ngelos quod IANE canis, Domini ministros,  
Spiritus sanctos, hominumque bonos Magistros,  
Ritè suffimen facis, & meliore thure,  
Uteris, isque litatum.  
Nam DEO res gratior esse nequit, perito  
Quàm metro vel se, sua vel benefacta dici,  
Quèis genus semper cumulans hominum benignus  
Præbitor afficit ultrò.  
Næ viam rectam graderis, pietate plenam,  
Quando sumis materiam, secus ac Poëtæ  
Temporis nostri faciunt, sua carminilla  
Qui Veneri sacra donant.

More





More fit moro: sequitur studiosa pubes  
Multa, nec censeat nisi talibus, ah misella!  
Artium nervos, validas & inesse vires,

Iudicio insipiente.

Angelos, res est, canere optima, res licet sit  
Ista communis, facilisque putetur esse;  
Namque pro nostrâ excubias habet Angelorum

Turba salute frequentes.

Absque sit custodibus his, mala quei pericla.

Quæso sentinare potes, tibi quæ malignus  
Undique sternit Draco? quomodo curta vitæ

Momina quæso tueri?

Angelos nostræ vigiles dedit hos Iehova.

Vitæ, & ut nobis famulentur ad usque finem.

Iussit, id quod latius exequeris probato

Carmine non-male VATES.

Perge, sic debet studiosus, & in palestrâ

Doctus antiquæ fidei sacra cantitare

Metra, quæ laudes DEI, & Angelicæ cohortis

Orbis in ora propagent.

*Petrus Lothus Cantor Nic.*

---

**P** Rincipibus placuisse viris non ultima laus est,  
Aonidum Flaccus, Magnus Apollo, canit.

Magna equidem laus est, MAGNIS placuisse, nec uno  
Moribus & vitâ displicuisse viris. (quam

Est MAIOR, fateor, cunctis placuisse probatis:

MAXIMA sed, MAGNO perplacuisse DEO.

Ergo places, MAGNIS, cunctis, MAGNOq; Iehovæ,

Quod nunc, IANE, novo carmine MAGNA moves.

Non

Non quod facta DEÆ, vel si quid turpius istis  
Decantas, letum quin opus Aligerum.

Pergito, sic olim Genti felix Olympi  
Adjungere, DEO sic faciente. VALE.

Zacharias Rōdiccius Schlaccenwerdensis  
Misniacus, Studiosus jam ἀρχολ.



**H**LL E ego, SUEVIACI spississima turba Lycæi,  
Heic quam, vester Amor, Musæ, Charitumq; Soro-  
Ternio multijugas ductam poliére per arteis, (rū  
Qui creperâ vobis nuper modulatus avenâ  
Carmen; & egressus silvis, Natalia CHRISTI  
Maçtavi, meritis palmarent laudibus ipsum,  
Debitum opus CHRISTIS: cur nunc non munera dicam,  
Quêis juvat alaris cœli gens incolâ turmæ  
Plumipedes altæ ROMÆ, ætheriæque Quirites  
Folliculi lutei consutos cortice homillos?  
Quod nobis VERIS blanditur amœna Voluptas,  
Hirsutiq; rigent culmis Cerealibus agri,  
Atque Autumnali redolet vindemia fœtu,  
Perque Hyemem lentus cœlo nivis ingruit imber,  
*Civibus aligeris fas est adscribere cœli.*  
Quod nobis omne stratam fileat æquor, & omnes  
Ventosi terrâ subsidunt murmuris auræ:  
Quod nec & Æolij venti, velut agmine facta,  
Patritas terras nigricanti turbine perflant,  
Et bovis involuunt obscœno pascua cœno,  
*Civibus aligeris fas est adscribere cœli.*

*Abruptiq;*

Abruptique ignes, & torti fulminis iræ,  
Atque imbres pluvij, undantes atque ignis habenæ,  
Annonæque simul, belli que luisque flagellum,  
Protensus à patrij regnârunt finibus arvi,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Et quod Evangelicæ penetrantia fulgura flammæ  
Suggesti è speculâ pervadunt oppida SUEVI  
Voce salutiferæ sementis in urbe fatoris,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Quodque novenarum decus immortale SORORUM  
Phœbus acerfecomes, & nostra Lycæa frequenti  
Semper ephebéo clarent Pietatis amante,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Civibus & nostris sensim RESPUBLICA crevit,  
Et sub eâ civeis cœlo delapsa revisit  
Iusticia, humani generis decus, unica custos  
Imperij, cui sancta fides & fœdera curæ,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Quod victum & cultum, humanæ stabilimina Vitæ,  
Cum servis & cum pueris habuere Parentes,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Et quod vis animæ, postquam exhalata recedit  
Corporis hospitio nostrum, felicibus ulnis  
Excipitur, IOVÆ gremioque reponitur almo,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Si, tuba per nubis quando dabit unca canorem,  
Et mundi triplicatam flamma resolvet opellam,  
Hûc trahimur, trahimurque illuc ad Iudicis urnam,

*Civibus aligeris fas est adscribere cæli.*

Est igitur nec Homo, nec is est tabente medullâ  
Iuglandis cassæ dignus, nec tresse minuto,

B

Tigride

Tigride sed natus, solidumque in pectore ferrum,  
Atque Adamanta gerit, nec huic data gratia cordi est,  
Qui non, cum lucem natalibus evocat undis  
Lucifer, indixitque diem, sibi quam chorus ille  
Angelicus cœli festam præcepit haberi,  
Qui non, inquam, animo referet benefacta Iehovæ,  
Quæ cœli Iuvenes, divinæ robora gentis,  
Heic nostris proavis, abavis, atavisque dicarunt,  
Quæque ab Adamigenâ natis caligine nostris  
Præstant, præstabunt taciti pes lubricus anni  
Donec ad extremum veniet; (modò vita superstes.)  
Inde nec ad studium sumatur cura profanum,  
Aut aliâ quavis corpus defudet in arte;  
Si quæ vos Iuvenes Pietas stimulatque, movetque,  
Munus id angelicum super æthera tollite cantu.  
Ipse, DEO monstrante viam, cano carmine, quænam  
Commoda præstiterit cœlestis turma ELISÆO:  
Inde patescit enim liquidò, quid tempore nostro  
Auxilij præstent prompti mortalibus ægris,  
Seu, genatrix lucem cum Memnonis orta reducit,  
Otia Musarum sequimur, dulcesque recessus:  
Seu nos debilitat series immensa laborum,  
Cum calet & medio Sol est altissimus orbe:  
Sertimus aut somnum capiti marcore supinum  
Laxantes curis exercita membra quiete,  
Luna super terras cum currit roscida bigis.  
Huc PATER irrequite quiete gubernata capessens  
Cuncta veni, atque meis juvenilibus annue cœptis.  
CHRISTE-Homo-dive, DEI Patris æternabile VERBUM  
Da facilem cursum vario in discrimine cymbæ,  
Detege fiderio scopulos fyrtesque nitore,  
Ne mea vi durâ fortasse alhisa fatiscat.

Et

Et CALOR ætherio succense triformis ab igni  
Numinis, esto mihi marmor Cynosura petenti:  
Namque tuo sacro declino lumine fusus  
Erranti luveni minitantes tristia noctes,  
Amplaque piscosam pandentem ricta palati  
Effugio gentem, solo quæ frigida visu  
Corda metu jugulat, curarum & gurgite mergit.  
Tuque decus nostri, RECTOR, palmare Lycæi,  
Tu quoque terna Trias, tu simplex Triga Sororum  
Eiaculans verbis penetrantia fulmina linguæ;  
Et tu cara cohors IUVENUM, splendensque caterva,  
Aurea quam Virtus juvenantis pectoris altrix,  
Seminio clarus quam sanguis honestat avorum;  
Adspirate meis cœptis, aurâque Favoris  
Blandi-sonâ trepidæ volitantia carbasa cymbæ,  
Et frontis marmor diffusâ luce serenæ  
Irradiate, suo quò tandem in littore sanis  
Subsiliat transtris & mordeat anchora portum.

**R**EX Syriæ signum belli olim dirus ab arce  
Ut dedit, & rauco strepuerunt cornua cantû,  
Ut celeres concussit equos, atque impulit enses,  
Confestim turbati animi, simul omne tumultû  
Conjurat pavido Syrium, sævitque juvenus  
Effera; Ductores primi Phartharus & Aman  
Et pietate gravis Neamanius, undique cogunt  
Auxilia & foetos vastant cultoribus agros,  
Et, sibi subiciens REX sancto à sanguine cretos,  
Mœnia diripiat, mentemque explere potestit  
Ultriciis flammæ, technarum fluctuat æstu,  
Et mentem nunc hûc celerem, nunc dividit illûc,  
In parteisque rapit dubias, perque omnia versat:

Talia Rex secum furiatâ mente volutat :  
Samariâ libet hâc tutò considerare terrâ,  
Hocque loco lecto cum milite castra locare :  
Forſitan evenient citius mihi vota precesque;  
Victor abire domum potero portante tropæo :  
Atque ubi jam gravis ære domum mihi dextra redibit,  
Atque domos dederit vacuas mihi, MARTE favente,  
Quo-me cunq̃ue juvat mea tecta laresque revifam.  
Sic secum : dein ad populum his eſt vocibus uſus :  
Nunc animis opus eſt firmis, nunc pectore forti,  
Iam ſurget cædes, jam bellica ſigna ſonabunt,  
Tympana jam miſto tibicine rauca tonabunt,  
Iam perterritæ concitibus æthra loquetur.  
Caſſigate moras atque otia ſolvite belli,  
Ferre citi validas haſtas, nunc ipſa vocat res,  
Ferre globosque & ſpicula tendite cornu,  
Et lunate genu ſinuofos fortiter arcus.  
Sed quid fit? moderante DEO Vates Eliſæus  
Protinus accurrens, pellaci prævenit hoſti,  
Samarixæ REGI bellicata detegit ultrò  
Semina : dein Regem dictis affatur amicis :  
Venit ſumma dies & ineluctabile fatum  
SAMARIÆ, fuimus cives, fuit alta columnis  
Aula tua ſtructis : ferus omnia turgidus hoſtis  
Transferet : incenſis SYRIJ dominantur in agris.  
Arduus armatos, ut cernis, mœnibus adſtans  
Fundit equos & dux Néaman incendia miſcet  
Inſultans, portis alij bipatentibus adſunt,  
Millia quot magnis nunquam venêre Philiftis;  
Obſervant alij frameis anguſta viarum  
Oppoſiti, miles ſtat luce coruſcus ahenâ,  
Et telis, fidensque animi, atque in utrumque paratus,  
Seu verſare dolos, ſeu certè effundere vitam.

Hinc



Hinc fuge crudeles terras, fuge rura nefanda;  
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.  
Compita namque soli confixi ferrea velat  
Telorum seges, & jaculis increfcit acutis.  
Hæc ubi: Rex mentem ancipiti formidine pressus  
Obstupuit; tacitus pallor simul occupat ora.  
Quæi potero, fatur, voluens sub pectore curas?  
Quæi potero tantum populum profternere ferro?  
Ibo equidem jam jam: nam mens exæstuat irâ,  
Ibo equidem jam jam: nec me sententia vertet,  
Strenuus ibo equidem circundans mœnia vallis,  
Cæde lavare manûs ne possit perfidus hostis.  
Ibo animis contrâ vel fortem præstet ACHILLEM:  
Effugiam nunquam: veniam quocunq̃ue vocabor.  
Sic ait: è solido stant propugnacula saxo  
Ardua, & inductâ novus undâ murus obitur,  
Agger & in vacuas præceps attollitur auras,  
Pondere replentur terræ constructaque septa.  
Insidiæ hostiles pereunt: labor irritus omnis,  
Atque suas nescit fraudes concludere fine.  
Hinc avidos oculorum orbis hûc voluit & illûc  
Dentibus infrendens, vultque ilicet ære recurvo  
Grandifonas inflare tubas, sonituque canoro,  
Protinus armatos ad verba ciere maniplos  
Præconem, ceu pastor oves, compellat in unum.  
His ait: Hem scelerum caput & mentita corona  
A fronte ad calcem cumque omnibus intestinis!  
O socij! socij! quem tanta infania cepit,  
Deposuit fraudes fidas quod REGIS in aureis!  
Iam nihil hæc fraudes, stratagemata nulla valebunt,  
Quæ varijs technis, quæ mirâ finximus arte.  
Ipse omnes ferro campo contundet aperto;  
Sicut ubi rivus lymphis hyemalibus auctus

Vitreus ac bullans infano vortice saltus  
Proruit, & segetes late populatur & agros,  
Prodiit hinc quidam miles cui scilicet ætas  
Excita planipedis maturam vellere frontem,  
Induit, & canis labentes inquinat annos,  
Demeret irati conceptas pectoris iras;  
Vera mihi, fatur, fatu, Rex ô animo hauri:  
Nemo est è socijs, ego, conscia Numina VERI  
Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus ægris,  
Intemerata fides, juro; quod credere dignum est;  
Sed quidam VATES, quem dicunt nomine ELISAM,  
Flaminis ætherio degit calefactus ab igni,  
Quæ verni patulis IORDANI florea Tempe  
Exspatiantur agris, quæque arx fulgore sub auras  
Cycnæo surgit, quæ prava aut recta gerantur,  
Omnibus evulgat, qui que intra mœnia vivunt.  
Illius auspicio REGI sunt omnia nota,  
Seu lentum valido vibres hastile lacerto,  
Consilium summis de rebus sive capeffas:  
Seu tractes, quod cunque velis, hæc omnia novit;  
Illius auspicio belli tibi destruit artem,  
Ne, quod cœpisti, feliciter exeat. Audin?  
Sic fatus, Subito campos & castra tuenti  
Ignescunt iræ & duris dolor ossibus hæret.  
Hinc dicit: (Fatis contraria fata rependens)  
Ite citi, fortes gladijs circumdate lumbos,  
Fati-canumque virum mihi quærite; protinus ite,  
Currite nec quicquam adversi remoretur euntes:  
Maturate viam, mihi REGI adducite VATE M,  
Quærite, quò ferro sceleratum excindere possim.  
Hæc ait: ut furijs insurgunt tristibus omnes.  
Induit hic galeam, clypei que insigne decorum,

Atque



Atque alter lateri falcatum accommodat ensem;  
His est unus amor loca circumfundere vallo.  
Fit via vi; vastant agros, & strata pererrant  
Emissi populi & latè loca milite complent;  
Ut subitas nigro glomerari pulvere nubes  
Prospiciant Syrij, ac tenebras insurgere campis.  
Primores ardent scitari & quærere VATEM,  
Undique quærendi studio clypeata Iuventus  
Circumfusa ruit, gaudetque illudere capto:  
Nec metam Syrij muris cupiêre relictis  
Moliri; & multo fessi discedere cursu,  
Sive refert lucem Phœbus, conditque relatum,  
(Fecissentque utinam: Sæpè illos igneus æstus  
Impedijt SOLIS, DEUS & cœcavit euntes:)  
Induerent vinclis lixarum donec ELISAM.  
Sed moritur TITAN, noctesque umbrantur opacæ,  
Militis atque sopor fessos complectitur artus.  
REX verò insomnem noctem certamine ducens  
O utinam, fatur, possim spolia ampla referre,  
Et cadat in casses hostis mihi sæpè cupitus:  
Tunc demum possem, (mihi si Fortuna faveret)  
Bina tropæa domo de nostrâ ponere VICTOR.  
Evolat hinc lecto, strictisque mucronibus agmen  
Ordinat intrepidè secum Neamânius Heros  
Timpore puniceo decoratus operta galero,  
Et peditum cuneos, turmasque cohortis equestres.  
Arctophylax sed cum vertebat plaustra Bootes,  
Mox dabat è speculâ turmalis buccina signum,  
Antra resultabant latè, mentesque fremebant,  
Qualis dumosi Boreas cum Thracius Ossæ  
Incubuit petris & mugit fulmine pollens  
Auster ab adverso: Somno turbam excitat omnem,

Addit



Addit calcar equis, aspros frenatque Caballos.  
Tunc itur Dothan; densum disponitur agmen:  
Hoc vespertinis educit prævius oris  
Dux ipse, Tyrio quem murice mula vehebat.  
Mille bis electi Iuvenes è civibus ibant  
Experti belli; misto clangore tubarum,  
Tergora pulsantes, animos ad sidera tollunt,  
Læticiâque fremunt, animos committere ventis:  
Sexcentos addunt, mens omnibus una sequendi;  
Scutati cuncti: sequitur fortissimus HECTOR,  
Hector equo fidens & versicoloribus armis,  
Huius olorinæ surgunt de vertice cristæ,  
Huius erat gladius stellatus jaspide fulvâ,  
Demissâ Tyrioque ardebat murice lanâ  
Ex humeris, SERES quæ quondam munera nêre.  
Deinde sequebantur magno hastarum comitatu  
Paulatim vigiles pilati militis iræ,  
Hinc atque hinc vrbs cingentes mœnia castris,  
Atque coronantes custode strata viarum.  
Eloquar, an fileam? Quæso sed cur? Ubi primo  
Ungula disperfit rores Phaëthontia Phœbo,  
Surgeret ut famulus divini Vatis ELISÆ,  
Obscuris oculis Syria agmina circumspexit.  
Sed quid fit? tremefacta novus per pectora sensim  
Insinuat pavor, & quid sit dicturus anhelat,  
Spemque metumque inter dubiam, dubius stupet, atque  
Poplite planxit humum, mœrentia pectora mulcens.  
Urbs fremuit, tremuit circumdata militis armis,  
It clamor cœlo, totum cœlumque remugit,  
Ilicet arma fremunt, omnes arma arma frequentant  
Unaque per populum, per muros famâ susurrat,  
Hostis adest, ah! hostis adest, estote parati;  
Hinc pavidaæ Nymphæ lacrumarum flumina mittunt;  
Urbis

Urbis fœmineus loquitur per compita plangor,  
Heu dolor! heu dolor! heu dolor! heu dolor! heu dolor  
Invalidi que senes evellunt vertice canos (asper!  
Cum lacrumis, votis & flebilibus lamentis.  
Quocunq̄ue aspiceres cives terrore paventes,  
Et querulum ex imo revomentes corde dolorem,  
Concussis cecidêre animis: ceu frundibus arbor  
Alta dolet lapsis Boreali impulsa boatû.  
Quid? mœrens edit vulgus lamenta per urbem,  
Ferte citi flammâs, ignita que tela per hosteis  
Sternite: quid statis trunci? nunc ipsa vocat res,  
Scindite tecta citi, glandes immittite in hosteis.  
Dein referens totum lacrymis implevit obortis  
Ille finum: Heu Vates! Vates! ô mi Pater adsis!  
Non tenebræ quenquam fugientem abscondere possunt:  
Heu quæ nunc tellus, quæ nos nos mœnia possunt  
Accipere? aut miseris nobis quid denique restat?  
Quæis neque apud Syrios usquam locus: insuper ipsi  
Samarix infensi pœnas cum sanguine poscunt.  
Quod capiamus iter? ratio jam nulla salutis;  
De nobis actum, spes nulla sequetur egenos.  
Ecce hostis subito erumpit clamore, frementes que  
Exhortatur equos, fundit simul undique tela  
Crebra nivis ritu: & dulces desolat agellos:  
Sed nos ad Styga & ad bârathrum jam trudet Averni.  
Nulla salus vitæ, muris plebs dira propinquat.  
Accipe, da que fidem. Sunt illi fortia bello  
Pectora, sunt animi & rebus spectata Iuventus.  
Dixerat: At contrâ cui talia reddit ELISA:  
Ne timeas fili, mœstum depone dolorem,  
Obsecro ne timeas: meritò cor in omnia fibris  
Gaudia luxuriat; Ratio nam multa salutis:  
Actum de nobis non est: spes multa sequetur.

C

Non

Non rapiet sub Avernalem nos hostis abyssum:  
Multa salus vitæ, violentus desinet hostis;  
Multa salus vivis; non est spes ulla sepultis;  
Est DEUS in nobis: agitante calefcimus illo:  
Sed quid in hoste foret comitante cohorte videbis.  
Fide DEO, (est nam sancta Fides, manus illa salutis  
Unica prensandæ) justos qui protegit omneis.  
Nónne DEUS sacræ gentis fera tesqua colentis  
Pane satullavit reboantem ventris orexin?  
Nónne potest, quod non micidi se lumina SOLIS  
Matutina sipent, & quod caligine campos  
Ora serenatæ irradiant argentea PHOEBES?  
Nónne potest SOLIS cursûs inhibere volanteis?  
Nónne potest tremulas VULCANI extinguere flammâs?  
Nónne domare potest fluctûs? Ventosque canoros  
Imperio premit ac vinclis & carcere frænat?  
Nónne DEUS summus moderator & arbiter orbis  
Faucibus exemit, quos faucibus inserit hostis?  
Nónne caput pedibus tutudit furiale Satânis,  
Cerberum & inclusit, validisque immane catenis  
Injecit saxum, ferro quod & arte CHIMERÆ  
Pendebar, fultosque emunijt obice posteis?  
Quin majus nobis agmen, densusque viro vir  
Hæret & assuetus telorum effundere contra  
Omne genus Syrij ac duris detrudere contis  
Militiæ fido populo benè castra coronat.  
Ecquis sed Iuvenis tam barbarus hostis, ut aufit  
Infestare solum, pro quo vigil ultor in armis  
Excubat excubias DEUS, & manus ignea turmæ?  
O DEUS omnipotens Divûm Pater atq; Hominum Rex,  
Qui cælo terras, terris abscindis & undas  
Qui liquidum spisso secernis ab æthere cœlum,  
Qui regis imperijs homines & fulmine terres  
Ingemit:

Ingemit: inde manus duplices ad sidera tendens  
Corde preces supplex fundit; dehinc talia fatur:  
O DEUS huic Iuveni radiantia lumina redde,  
Flammiferum coetum quò possit cernere: Quid fit?  
Ilicet attollens excusso lumina somno,  
Igne micare videt flagrantia culmina montis  
Et videt armigeros coeli, videt igne coruscas  
Quadrupedes circum circa ad latus omne virorum.  
Accedens propius vis praesens MARTIS ELISAM,  
Ille nihil metuens animoso pectore poscit,  
Viscidus ut sedes oculi liquor occupet ambas,  
Atque illis hebetet visus caligine acutos:  
In camuro residens coelestis pægmate molis  
Vota DEUS Vates praesentibus auribus hausit,  
Claudit inerte situ quoque lumina militis atri.  
Ut neque praesentem possit cognoscere VATEM,  
Aut urbis DOTHAN obsessæ cernere muros.  
Accedens igitur VATES sua verba salutis  
Dulciter alloqui suavissimo aromate condit,  
Vos pedites, equitesque mei, quò tenditis, inquit?  
State viri, quæ causa via? vestigia retrò  
Fallacis silvæ, parasangis ite vetustis,  
Devius heic error miseros à tramite flectit.  
Me duce, mi fratres, huc huc concedite ad urbem,  
Quâ fundata tholis domus inter nubila nudat  
Regia conspicuum caput, & suggrundia pandit,  
Illius optati vos ducam ad limina; Vultis?  
Dixit & hos duxit gaudens ad mœnia REGIS.  
ODEUS, alme Parens, oculis absterge liquorem,  
Mavortis, fatur, clarescat lumine visus,  
Iusta tibi que salutifero sua soltra resolvat,  
Laudibus atque pijs dignum sic pragma per orbem,  
Sanctorumque per ora volet, volet immò per astra.

C 2 Talia

Talia vix fatus VATES, Rex ipse Iehova,  
Redderet his visum, sua lumina reddidit ipse,  
Reddidit, utque vident Samarææ mœnia gentis,  
Atque ipsum VATEM, votis precibusque petitem;  
Stant mœsti, mussantque DUCES, heic undique sermo  
Dissensu vario surdas se tollit in auras;  
Haut secus atque avium sub luco fortè catervæ  
Cantant; inque glomis cyeni propè flumina drensant.  
Iamque adeò unus erat IORAMUS, cum mœnia celsæ  
Samarææ strictis complementem militis armis,  
Nec non freudentem turbam stridente molari  
Aspexit furij cœcam: sibi pectore bilis  
Extimulo intumuit calido: subit ira, prementem  
Ulcisci patriam & funestas sumere pœnas.  
Scilicet hæc Syriam incolumis, patriosque penates  
Adspiciet? partoque ibit fera turba triumpho?  
Conjugiumque domosque, patres, natosque videbit  
Iosaphati turba & Mæsæ comitata ministris?  
Occiderit subito cornu Babylonius Achab?  
Samarium toties sudarit sanguine littus?  
Non ita: Namque etsi nullum laudabile nomen,  
Inspidâ in pœna est, nec habet victoria laudem:  
Debellare nefas tamen, & sumsisse merentis  
Cantabor pœnas, animumque explêsse iuvabit  
Ultricis flammæ; & cineres satiâsse priores;  
Nonne iuvat Sophatides, inquit, nonne iuvabit?  
Talia jactanti & furiatâ mente sonanti  
Respondit, roseoque hæc insuper addidit ore:  
Quæso quis indomitas tantus dolor excitat iras?  
Quid furis? aut quonam monitûs tibi cura recessit?  
Non voluas hoc corde malum, sed fidere discas,  
Cuius habet nunquam vigilantia provida fines;  
Hostes quos ferro dextrè tua dextera vincet,

Sive



Sive, ut Hyperboreis Aquilo cūm densus ab oris  
Nigra serennifico depellit nubila cœlo;  
Belli-potente fuges dextrâ regione paternâ;  
Sive teras, tundas, occidas ense corusco,  
Seu vires cataphractus in hostis viscera vertas.  
His verò exstructis peragas convivia mensis,  
Quosque vides populos, tribuas potumque cibumque,  
Ut temet possint totis agitare quadrigis  
Panc satullati spaciofa per æquora laudum,  
Atque vias melius repetant, quos error aberrans  
Tramite seduxit miseros per saxa, per undas.  
Sic ait: apposito convivia pane parantur,  
Sternitur arte valens, ac divite mensa paratu,  
Munificâ bonitate, renidenti que culinâ,  
Atque cavi cyathi veteri replentur Iaccho.  
Postquam facta quies epulis, mensæque remotæ,  
Arida & ora meri relevâssent munere Bacchi:  
Exanimus miles frameis, parmisque resumptis  
Subdit equis calcar, volitans que per aëra magnum  
Remigio alarum: Syriorum constitit oris,  
Et nunquam repetivit rura Samaridos oræ.

**E**Rgò agè siderijs flabris animata Iuventus,  
Entheus inclatrat castis quam sepibus æstus,  
Et pietatis agit, ducit que ad splendida thyrsus  
Tecta micante auro, flammâque imitante pyropo,  
Musæo Zephyro festivi, dante Minervâ,  
Nunc erecta logi benè munera corde voluta,  
Mira DEI nobis (non est res parva, notatu est)  
Facta per aligeram monstrata & præstita turmam;  
Vis? depinnato laudum super aëra curru,  
Et vehe veriloquis in tempore sera nepotum,  
Carminibus; cœcis oracula mersa tenèbris

Erue & in Solis radiati profer apricum,  
Mittat ut ætherios vigilaci corde maniplos,  
His mundi tenebris qui concomitentur euntes,  
Præsidio & tali post hac nos cingere pergat,  
Quali Sophatidem, ceu scitis, cinxit ELISAM,  
Sic decet & fas est: Vultis? sic verba præibo.

    O Pater! ô Suboles Patris! ô consorsque duorum,  
Spiritus in trino qui numine numen es unum,  
Respice, si qua polo pietas, hæc respice vindex;  
Nam quia non alius potis est mulcere tonantes  
Immundi mundi fluctus, hostisque furores  
Nemo domare potest: quare memor esto tuorum;  
Ipse vides quo sub cælo, quibus orbis in oris  
Iactamur fati: ignari hominumque, locorumque  
Erramus ventis, rapidis & fluctibus acti.  
Commaculare manus nostratum sanguine gaudet,  
TURCUS Germaniæ nostræ communis ERINNYS;  
Iuppiter humanus, ROMÆ qui præsidet altæ,  
Ebrius intumuit votis rebusque secundis,  
Nuper & horrendas furiarum emisit habenas,  
Ut nos æternis flammis damnaret Averni,  
Fac de ponte cadat, piceas Acherontis in undas,  
Militibusque suis lethale immitte venenum,  
Ne reduces Patriam videant, læti que triumphent  
De nobis; sed in hæc subeant tellure sinistra,  
Fata: lues aut quos fera non dimiserit ORCO,  
Missa, precor, crepero feriant hos fulmina bombo,  
Si luit Argous pœnas exercitus olim,  
Fulmine terrifico mactatus, mersus in undâ,  
Unius ob furias Ajacis, dextera cuius  
Fecerat in sacrâ divæ scelus æde MINERVÆ;  
Fulmine num pereant, qui tot delubra, tot aras  
Sanguineâ satagunt dextrâ temerare dietim?

Num





Num vivant FURIÆ, fœdis queis septa chelydris  
Frons immortalis exspirat pectoris æstus,  
Et nigris MUSAS incilat livida probris,  
Illuviem & rapidam & ravidam despumat in omnes?  
Noctes atque dies animas in devia cogit  
Tæsquæ superstitione novâ, errorumque tenebris?  
O DEUS, alme Pater, primo te Solis ab ortu  
Solis ad occasus te pectore suspiramus,  
Qui nobis motus & flabra reciproca cordis,  
Particulamque tuæ das unus hic omnibus auræ,  
Qui depurasti sacri Baptismatis undâ,  
Nos & Adamigenos emisti sanguine CHRISTI,  
Ne nos extinguant, ad sis, volo, agemate sancto  
Iam propior, propiorque tuis hoc tempore CHRISTIS.  
Lurida pestilens tabo vicina per arva  
Ne fluat: & rabies Vulcani incendia sufflet:  
Mortis Alumna fames, maciesque domestica vexet:  
Normet opus Fidei verâ sed Doctor amissi:  
Et tandem Proceres quorum prælustrior exit  
Splendor & in summo dominatû ac luce regentes  
Accrescant latè subjectâ plebe clientum.  
Munere pro tanto, Pubes jurata Lycéo  
Mecum agitet totis immensa per æquora laudum,  
Naviculis te PATREM, te Patris INCREMENTUM,  
Te sacrum FLATUM, dio modulamine cantans,  
GLORIA, LAUS & HONOR tibi sit per secula cuncta.

F I N I S.

---

BERLINI, TYPIS HÆREDVM  
Christophori Rungij.

ANNO M DC VIII.





Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3  
002 690 756



56.

VD77







28. *XXIX. 61 3570*

CARMEN HEROICUM  
DE

**CUSTODIA DI-**  
**VINA ANGELIS DE-**  
**MANDATA, EX HISTORIA**  
DE ELISÆO PROPHETA  
2. Reg. c. 6. desumptum,  
Et  
A  
**IOHANNE RVDINGERO NEVSTAD.**  
ad Orilam, Tyrigetâ, in illustri Beroli-  
nensium Gymnasio Anno 1608.  
recitatum.

In MOMUM invidum.

F'Idas, mî LECTOR, resclam deponat in aureis  
MUSA, sed in vulgum spargere sola vetat.  
Contentus modicis & nostro pragmate lætus,  
Haut aurum petij mentis agone DEUM.  
Aspera pauperies veniam dabis: inde recedas.  
Quæ subiti voti primula causa foret?  
Verminet omentum MOMo, stomachiq; recessq;  
Expugnet cœbri siccaque flamma tholos.  
I. R. N.

30

29.